

tatis spacium primùm ingrediuntur, consilio & ductu re-  
etè præsent. Nam dum ipsimet animum incredibili  
studio sub rationis jugum haud miserunt, facile ferre pos-  
sunt, ut qui ab iis pendent, nec falsos noxiosq; affectus ad  
interneccionem deleant, nec in triumpho ducant.

Exhibui vobis Auditores animi bona, ad quæ Rex  
noster gloriosissimus felici pede progressus est, à quibus  
tamen pietas non debet separari, sicut nec illa à pietate.  
Multæ sane fuerunt Regis nostri præclaræ virtutes; hæc  
tamen, ut loquitur Cicero, lemniscata est, & agmen ducit  
omnium virtutum. Ita sentiebat religiosus Rex, absq;  
nutu Numinis nutare omnem reliquã felicitatem mor-  
talium: salva ei esse omnia, qui DEUM rite veneretur. Un-  
de & Rex noster, qui ad optima quæq; à natura factus, à  
cura institutus erat, ante omnia summum illud Numen, qua-  
renus homini datum est, & lux è sacris literis præfertur, nos-  
se laboravit, & cognitum piè pureq; venerari: quod qui-  
dem utrumq;, nempe rectus de DEO sensus, & rectus in  
Deum cultus, quâ copula pietas constat, una voce religio  
appellatur. Hæc tam altas in pectore Regis nostri radices  
egit, ut nec secūda nec adversa fortuna machinis suis eam  
subruere & evertere posset. Utinam vero assimilatæ vir-  
tutum umbræ apud plusculos non essent pestilentio-  
res ipsis hæresibus! Iuventus certè hoc seculo nihil minus  
curat quam pietatem: templum ingreditur, & vitia re-  
dargui audit: sed quotus quisq; de emendanda vita cu-  
ram ac cogitationem suscipit! Sarcinam peccatorum per